Christo Redemtore Auspice!


EXERCITIUM JURIDICUM

DE

REFUTATIONE FEUDI,

Von

Abtretung der Lehn.



QUOD

SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. OTTONIS TABORIS,

U. J. D. & in incluta florentissimaque Argentoratensium Universitate Cod. & Feud Placit. Professoris publici, Juridicæ Facultatis p. t. Decani, Præceptoris & Patroni sui æternum venerandi.

Publicæ & placidæ Disquisitioni submittet


GEORGIUS SCHUSTER/

MEMMINGENSIS.

Ad diem 25. Junii. M DC LIII.

ARGENTORATI,

NUNC RECUSA 1719. 6)



I. N. D. N. I. C.

Præfatiuncula.



IN foro aliquando versari cupientibus, cognitionem Juris Feudistici inprimis etiam sectandam & excolendam esse, summa, quam hujus Juris studium, tum in communi vita, tum in Dicasteriis, obtinet, videtur exigere necessitas: Hac enim cognitione si quis destitutus ad agendum causas accesserit, is dubio procul officio suo parum feliciter defungetur. Quapropter necessitatem istius Juris, juxta & utilitatem, & dignitatem, quam vel ex eo, quod teste (*post alios*), Dn. D. Gothofred. Anton. *disputat. Feudal. 1. thes. 1. lit. M.* in toto Imperio Romano, & fere ab omnibus Imperium recusantibus Populis, istud Jus receptum sit, quivis deprehendit, considerans, cum aliquid loco problematis, publice proponere animus erat, ex Jure Feudali Materiam *de Refutatione Feudi* præsentibus hisce thesibus methodice conscriptam, exhibere volui, ut circa illam, magis, & publice, informarer: statim ergo, si prius Numinis divini opem devote invocavero, ad rem ipsam progredior; sit igitur

CAPUT I.

Protheoriam Refutationis Feudi exhibens.

THESIS I.

PEnetrationem terminorum ut in quavis disciplina anticipari debere, graviter & generaliter monet, vir plurimum Reverend. & excellentiss. Dn.D. Dannhavver, *in Idea Boni disp. sect. 1. c. 2. art. 1.* Ita inprimis in Jurisprudentia nostra, illud adeo necessarium esse ostendit. Mangnif. Dn. Præs. Præcept. & Patron. meus æternum venerandus, *in Jurisprud. Element. sect. 4. part. 3. §. 2.* ut quosdam veterum, sine nominis explicatione velle rem cognoscere, esse tempus perdere, tradidisse, dicat: Licet enim rerum cognitio potior sit, attamen verborum prior est. *Oldendorp. 4. class. action. 24. n. 9.* Quapropter haud à re esse existimavi, si tantorum virorum monitis obtemperans & adhærens, ea, quæ ad ὀνοματολογίαν hujus nostri problematis spectare visa sunt, susceptæ tractationi, præmitterem.

2. Utrumque autem tam subjecti quam prædicati Nomen seorsim nobis considerandum est. Et quidem quoad originationem vocabuli *Refutationis* attinet notum est, quod illud derivetur à verbo refutare, hoc autem compositum sit, à præpositione Re (quæ verbis opposita interdum iterationem, incremetum, seu perfectionem significat, interdum vero

ro ornatus causa adhibetur) & verbo futare, quod est ferventem ollam, cum paulo plus exuberat: futo vase in versa aqua compescere, hinc deinde, quia contrariæ rationes, sicut futo olla, compescuntur & diluuntur, factum est, quod futare Latinis idem fuerit, ac Græcis ἐλέγχειν; Quam eandem significationem etiam repræsentat verbum compositum Refutare, ita ut nunc Grammaticis Refutare metaphorice idem significet, quod redarguere, refellere. Sed in Feudis paulo aliter, & quidem fere ceu terminus medius inter retinere & alienare, usurpari cœpit, per istum enim terminum, *sicuti ex Cammerar. in c. Imperialem. p. 110, 114. & 228. refert. Rosenth. c. 6. concl. 50. n. 2.* Jus nostrum minime abdicamus, sed ad tempus restringimus, ut magis videatur pro illo tempore Jus nostrum cessare, quam ad alium transferri. *c. 1. de eo qui finem fec. agnat. de feud. part. 2. F. 49.* neque in hoc significatu semper, in Jure feudorum, sed interdum etiam, ut Refutans omne jus suum amittat, accipitur. *text. est in d. cap. ibi: nisi omnino refutatum, de eo qui fin. fec. agnat. feud. part. 2. F. 49.* Feudistis ergo idem est Refutare, quod Latinis cedere, deferre, remittere. *Hottom. in disp. feud. c. 38.*

3. Unde, ratione Homonimiæ patet, istud vocabulum non unum sed plures admittere significatus, utcunque enim initio denotarit idem, quod redarguere, refellere: tamen ab hac impositione deviavit, cœpitque, uti infinita vocabula, quæ ad varias res significandas translata fuerunt. *Magnif. Dn. Præs. de loc. θ. 4.* aliis negotiis adaptari. Hinc significatio hujus vocabuli alia est *vulgaris*, quando verbum refutare idem denotat quod redarguere, refellere, rejicere, recusare.

Et in hoc sensu vocem hanc etiam Feudista usurpavit *in c. 1. §. porro. ibi. nisi hoc beneficium amiserit Dominus per Refutationem, vel annali silentio. qual. olim feud. alienar. pot. 2. F. 9.* quibus verbis annale silentium Refutationi comparat, quasi hæc expressa illa tacita recusatio sit. *Hottom. ad d. cap. qual. olim feud. alienar. pot. 2. F. 9.* Alia *Iuridica*, & in hoc significatu sumitur *vel proprie*, quando quis in manus Domini feudum refutare dicitur, *c. v. de Vasall. de crep. ætat. qui feud. refutav. ut fil. investir. 2. F. 14. c. v. de vasall. qui contr. constit. Lothar. Reg. benef. alienav. 2. F. 38.* vel *improprie*, quando descentibus & Agnatis refutatio fit. *d. c. v. de vasall. qui contr. const. Lothar. Reg. benef. alienav. 2. F. 38.* vel *impropriissime*: & tunc iterum vel *late*, quando Vasallus feudum alienare volens, ante alienationem, Jus feudi venditi peculiariter Domino refutat, ab eoq; ut Emptori Investituram concedat, petit quam consvetudinem in Germania passim vigere testatur Christoph. Besold *in 1. in Thesaur. practic. sub. vocabul.* Aufflösung. vel *latissime*, quando de Extraneis Refutatio prædicatur, quæ potius simplex & mera est alienatio quam refutatio. *Vultei. lib. 1. de feud. disp. 7. θ. 75.*

4. Pro synonymis usurpantur (1.) feudo finem facere. *c. v. de eo qui fin. fec. Agnat. de feud. pat. 2. F. 49.* (2.) feudum renunciare. *Clarus in §. feudum. q. 75.* (3.) Resignare *Blanch. in summ. feudor. lib. 2. c. 1. n. 116.* (4.) repudiare. *Oldendorp. class. act. 5. post act. 17. de act. benefic. loc. Blanch. dict. loc.* (5.) cedere *Dn. D. Schnobel. in jur. feud. disp. 8. θ. 23.* (6.) remittere. *Tepat. in compend. decis. tit. 378.* & (7.) concedere. *Hottom. in comment. de Feud. ad §. 3. quib. mod. Feud. amitt. 1. F. 5. D. D. Ludwell. in synops. feud. c. 15.* Nostro Germanico idiomate dicimus,

mus, das Lehen auffsagen / auffschreiben / abtreten / auffkünden / absagen / abkünden.

5. Nunc subjecti sc. τῆs Feudi Nomen examinandum est: Verum, cum illud, tam quoad Etymologiam, quam quoad Homonymiam & synonymiam evolverit Dn. D. Gothofr. Ant. *disp. feud.* 1. *th.* 1. *lit. c.* ideo, ne ociosa repetitione actum agere velle videar, me illinc remitto: Illud tamen hoc loco exprimendum est, me, hic, vocabulum Feudi *neque efficienter* & pro contractu, per quem vasalli jus in re constituitur, *sicuti usurpatur in c.* 1. *ibi. per feudum investitum. de usu Mediolanens. secund. quosd.* 1. *F.* 28. *c.* 1. *pr. &* §. 1. *ibi. per feudum tamen cuilibet dari potest. per quos fiat Investit.* 2. *F.* 3. *c.* 1. *v. si vero Qual. olim feud. alienar. pot.* 2. *F.* 9. Neque *objective* & pro re in feudum concessa, quemadmodum sumitur *in c. in fin. si de Invest. feud. controv. fuerit.* 1. *F.* 4. *c.* 1. §. *è contrario. De Investit. de re alien. facta.* 2. *F.* 8. *c.* 1. §. *si vero. ibi. feudum malo ordine intravit. De Milit. vasali. qui contum est.* 2. *F.* 22. Neque *plane improprie* & pro Jure dominico ipsius Domini Directi, *uti legitur, in cap.* 1. §. *ex eadem lege. De lege Corrad.* 2. *F.* 34. *c.* 1. §. *v. in fin. Qualit. olim feud. alienar. pot.* 2. *F.* 9. *c.* 1. §. *praeterea. De probib. feud. alienat. per Frideric. fact.* 2. *F.* 55. sed *proprie & formaliter* pro Jure in re feudali vasallo per contractum constituto, sumere, prout in hoc sensu usurpatur *in cap.* 5. *Quid. mod. feud. constituat.* 1. *F.* 25. *cap.* 1. §. *f. De cognit. feud.* 2. *F.* 1. *& passim.*

6. Definitioni Nominali subjungimus Realem; quam talem ponimus. Refutatio Feudi est actus *a* quo Vasallus *b.* Feudum *c.* alteri *d.* tempestive *e.* resignat. *f.*

a. Actus)

a. Actus) Generis loco ponimus actum. actus siquidem Nomen generale est, sive verbis sive re quid agatur. *Labeo in l. 19. ff. de verbor. signif.* agere enim est quodlibet humanum factum expedire, sive id fiat operando, sive consilio & facto ipse, sive volutando, sive impellendo, sive consentiendo & alio quolibet modo. *Gædd. ad d. l. 19. de verb. signif. n. 8.* Hinc etiam actus feudales sub se comprehendit. *Magnif. Dn. Præs. in Jurisprud. Element. sect. 3. part. 3. §. 31.*

b. Vasallus) per Vasallum hic intelligimus etiam sub infeudatum. Nam cum subinfeudatus idem Juris in re in subfeudum concessa, quod alius vasallus, in re feudali, habet, haud inconvenienter ipsi etiam potestas refutandi subfeudum tribuitur.

c. alteri) sive Domino sive descendentibus sive Agnatis, modo debitus ordo, de quo *Mynsing. 4. observ. 23.* observetur, ista refutatio fiat.

d. feudum) quo ipso exprimimus objectum, neque distinguimus, sive totum sive pars feudi refutetur. *c. v. de Vasall. qui contr. constit. Lotharii Reg. benef. alienav. 2. F. 38.*

e. tempestive) In hoc (i. e. in resignatione tempestiva v. *infr. c. 4. §. 1.*) formale Refutationis feudi consistere statuimus. Licet enim alias termino formæ aliter utantur Philosophi, tamen cum Interpretibus Juris, id quod essentiale alicujus actus requisitum est, formam vocare placeat, *uti præter alios etiam videre est apud Wesenb. in π. ff. de oper. Nov. Nunciat. num. 9.* ideo illos hac in parte imitamur.

f. resignat) sive per se sive per alium puta Procuratorem, & sive in scriptis sive sine scri-

ptis

ptis fiat, nil interesse arbitramur: de quibus postea latius erit agendum.

7. *Dividimus* Refutationem feudi *cum Vult. lib. 1. de feud. disput. 10. θ. 75. in f.* (1) in *proprium* & in *impropriam*. Propriam dicimus, quæ fit domino, vel in manus Domini; Impropria ea est, quæ fit vel Descendentibus vel Agnatis. Extraneis siquidem quando feudum refutatur, potius simplex alienatio quam refutatio censenda est, cum refutatio, ei, qui Jus succedendi non habet, facta, pro alienatione, habeatur. *Borch. cap. 8. n. 56.* (2.) Refutatio Propria est vel *Generalis*, quando quis omnia feuda renunciat. *Schrader. part. 2. c. 4. n. 69.* vel *Specialis*, si quis certum aliquod feudum renunciat. *c. de eo qui fin. fec. agn. de feud. pat. 2. F. 49. c. 1. de vasall. decrep. ætat. qui feud. refut. ut filii invest. 2. F. 14.* (3.) Quædam Renunciatio feudi est vel *expressa*, vel *simplex*. *Expressam* dico, quando vasallus Domino feudum ita refutat, ut vel descendens vel Agnatus, per Dominum, de illo feudo, tanquam de Novo, vel tanquam de antiquo investiatur. *Simplex* est, si nihil tale exprimitur. Et tunc est vel *Realis*, vel *Personalis*. Realem voco, quando refutatio generaliter, & sine expressione certarum Personarum, fit. Personalis est, quæ fit in gratiam certarum Personarum, ut Filii, Fratris, Agnatorum, vel horum heredum. Rosenthal. *de feud. cap. 2. concl. 20. n. 2.*

CAPUT II.

Theoriam, & inprimis

Caussas Externas, Efficientem & Finem continens.

1. **R**Enunciatio feudi hactenus in protheoria spectata fuit; progredimur nunc ad ipsam caussarum explicationem, & primo quidem Externarum, quarum duæ sunt, *Efficiens* & *Finis*. Efficiens autem est vel *Remota* vel *propinqua*. Et illa quidem est vel *Principalis* vel *Impulsiva*. Caussa Efficiens Remota principalis Refutationis Feudi est Jus Feudale. Eo enim Jure receptum est, ut cum vasallus Jure, quod in re Feudali constitutum habet, amplius uti frui nollet, posset id, vel in manus Domini, vel alteri, sive Descendentium sive Agnatorum, refutare, sicque obligatione & servitiis, quæ alias Domino proprietatis, ob rem Feudalem, præstare teneretur, se liberare. *c. v. de. Vasall. qui contr. Constit. Lothar. Reg. benef. alienav. 2. F. 28. c. v. de alienat. pater. feud. 2. F. 39. c. v. de Vasall. decrepit. ætat. 2. F. 14. c. v. Quid Jur. si vasall. post alien. feud. id recuperav. 2. F. 44.*

2. Caussa Efficiens Remota *Impulsiva*, quæ, ut potestas refutandi feudum, introduceretur, suasit, est Æquitas. Feudum siquidem, cum sit species quædam beneficii, unde & passim nomine beneficii *ut in c. 1. p. De feud. sine culp. non amittend. 1. F. 21. c. 1. §. In Quit. caus. feud. amittat. 2. F. 23. & alibi.* indigidatur: beneficia autē & similia emolumenta, (præsertim, ubi ea, magis unius, quemadmodum hic, vasalli, quam

quam utriusque gratia, concessa videntur) accepta, repudiare quem posse, nemo facile negabit, cum quivis beneficio & favori suo renunciare possit. *l. 51. C. de Episc. & Cler. l. p. C. de pact.* quemadmodum idem fieri videmus in usufructu simplici, qui Feudo, valde similis & vicinus est, quod, usufructuarius, reluctante & invito Proprietario, usumfructum renunciare possit, *pronti text. est in l. 64. ff. de usufruct.* hinc summa æquitate vasallo hanc potestatem renunciandi Feudum tributum esse, cuivis facile patescit. Quam non impugnat, quod Feuda sine causa vel culpa convicta, nec per Imperatorem, nec ejus successorem, ne quidem ex plenitudine potestatis, (quoniam feuda contractib. & sic Jure Gentium acquiruntur, *Gothofred. Anton. disp. feud. 9. θ. 6. lit. e.*) vasallo queant auferri. *c. v. de Feud. sine culp. non amittend. 1. Feud. 21. c. v. Quib. mot. feud. amitt. 1. F. 5. c. v. in quib. caus. feud. amitt. 2. F. 23. c. v. Quæ fuit prima caus. benef. amittend. 2. F. 24. c. v. de Natur. feud. 1. F. 7. Grammat. Decis. 65. n. 7. & 33. & decis. 18. n. f. Gothof. Ant. d. loc. tit. d.* Siquidem hac in parte inter Dominum & vasallum magna subest differentia: Quandoquidem Dominus, si maxime ipsi refutetur Feudum, damno inde non afficitur; quippe pro feudo & beneficio facile alium inventurus vasallum, quoniam in feudis gratia & beneficium, ut plurimum præponderant. Longe autem aliter se res habet cum vasallo, cui magna adferretur jactura, si ex Domini arbitrio feudum ipsi auferri posset. *Rosenth. c. 9. concl. 50. n. 18.*

3. Causam Efficientem propinquam consistere statuimus in voluntate & consensu vasalli feudum

refutantis & legitimam rerum suarum administrai tionem habentis. Nam, cum refutatio hæc plerumque sit species alienationis; sine voluntate autem nihil alienatum censeatur *arg. §. 41. I. de rer. div.* cum id quod nostrum sit absque facto nostro ad alium non transferatur. *l. 11. ff. de Reg. jur.* recte hinc dicitur, actum hunc à voluntate & consensu vasalli, dependere. Neque nuda & sola voluntas sufficit, sed, quemadmodum alias in omni alienatione necesse est, ut quis ad alienandum rem habeat potestatem vel perfectam, vel à lege suppletam. *Perez. in Inst. ad §. 41. Rer. div.* Ita & hic requiritur, ut vasallus liberam rerum suarum habeat administrationem: Quæ enim qualibet ratione de rebus suis aliquid alienare prohibetur, is neque feudum refutare poterit. *arg. c. un. pr. per quos fiat Invest. 2. F. 3.*

4. Hinc inferimus, actum hunc expedire non posse, 1. Pupillum, tum propter judicii voluntatisque imperfectionem, cum potius absentis loco habeatur. *l. 5. ff. de Reg. jur.* & nec velle nec nolle in eadem ætate credatur *l. 155. ff. eod.* tum etiam propter interdictam rerum administrationem. *t. t. ff. & C. de adm. tutel.* Licet enim alias conditionem suam cum Tutoris authoritate vel deteriorem facere, & alienare possit. *pr. Inst. de Auth. tut. l. 29. ff. de pact. l. 11. ff. de acquir. rer. dom.* Attamen neque cum Tutoris Authoritate feudum refutare potest, sed ut talis refutatio subsistat necesse insuper est, ut Decretum superioris adhibeatur, cum Oratio Imperatoris Severi, *de qua sub tit. ff. & C. de Reb. eor. qui sub tut. vel Cur. sunt non alienand.* non minus ad feuda quam

ad

ad alia immobilia pertinere videatur. Nam, quamvis Feuda, tempore Severi, nondum in usu fuisse perhibeantur: Attamen cum oratio divi Severi, ad Emphyteutica & usumfructum, porrigatur, *l.3. §. 4. & seq. ff. de Reb. eor. qui sub tut. vel cura.* Feudum vero in effectu ususfructus quidam sit *2. feud. 23. Vulteius, 1. feud. c. 2. n. 9.* etiam ad feudalem hunc usumfructum prohibitio porrecta censebitur, quemadmodum alias etiam Jus Feudorum Interpretationem passivam à Jure Civili recipit *c. 1. v. Serenus autem de cognit. Feud.* Et hoc quidem eo magis, cum vasallus non simplicem sed plenissimum usumfructum & utile dominium in re habeat. *c. 1. §. f. In quib. caus. Feud. amitt. 2. F. 23.* & Feuda solum in rebus soli vel solo cohærentibus & immobilibus, consistant, quas tamen sine Decreto Judicis ob prohibitionem dictæ orationis Divi Severi alienari non posse, notum est. *l. 1. ff. d. t. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. l. 22. C. de administ. tut. Rosenthal. c. 3. concl. 19.* Eodem modo refutare feudum nequit (2.) Minor, Etsi enim tali voluntatis & Judicii imperfectione, minor, uti pupillus, non laboret, utpote perfectæ ætatis nunc factus, §. 6. *Instit de Attilian. Tutor.* Cum tamen, eidem dicta (per orationem Severi introducta) prohibitio obstet, feudum refutare Eum posse recte negatur. Neque distinguimus, utrum curatorem habeat, vel eodem careat. *l. 16. C. de Prædijs & aliis reb. minorum. Quorsum facit, quod & alias Minor, etiamsi veniam ætatis impetraverit, tamen bona sua immobilia, sine Decreto, nec alienare, nec obligare possit. l. 2. & 3. C. de his qui veni. ætat. impetrav.* Denegamus etiã refutandi facultatem. (3.) Furio-

 so &

so & Mente capto: Cum enim hi non intelligant quid agant, (unde etiam ignorantibus *l. 16. §. 2. f. Qui testam. fac. poss.* Absentibus & quiescentibus *l. 2. §. 3. de jur. Cod. l. 124. §. 1. de Reg. jur.* item & Infantibus *l. 1. de Bonor. poss. furios. Infant. competent.* quoad consensum præstandum. *l. 7. ff. ad SCtum. Trebell.* comparentur, adeo, ut *juxta Vult. lib. 1. de feud. c. 4. n. 7.* nec renovationem Investituræ petere possint,) hunc actum, eo minus, sine consensu curatorum & decreti interpositione expedire poterunt, quod in eo abdicatio & alienatio Juris versatur. Loquimur autem de iis Furiosis, qui in perpetuo furore sunt, & continua mentis alienatione laborantes, omni intellectu carent. *l. 14. ff. de off. Præsid. l. 22. §. si Maritus, ff. sol. matrim.* Nam cæteri, quorum furor dilucida intervalla habet, uti alios, ita & hunc actum, recte gerunt. *l. 6. C. de Curat. Furios. l. 9. C. qui testam. fac. poss. l. 20. § 4. ff. eod.* Similiter ab hac facultate excludimus etiam (4.) prodigum: non eum, qui ethice talis est, sed qui Magistratus Decreto talis cum interdictione bonorum fuit declaratus *D. Gothof. Anton. disp. feud. 2. θ. 5. l. b.* Nam, quamvis reguraliter quilibet sit moderator & Dominus rei suæ. *l. 21. C. Mandat.* tamen in dissipante bona sua contra bonos mores hoc non obtinet, quia Reipublicæ, ne quis re sua male utatur, interest. *§. 2. Instit. de his qui sui vel alien. Jur.* cum ergo ejus bona à Curatore administrentur, adeo, ut nulla alienatio ab eo facta, licet juramento firmata, vel obligatio civilis ipsum teneat. *Tepat in compend. decis. tit. 476.* consequens est dicere, ipsum neque hoc jure se abdicare posse, sine consen-

su

ſu Curatoris & Decreto Judicis. Sed anne idem dicendum ſit, ſi prodigus ſaniores recipiat mores, quæritur? Quod non putarem. Cum enim Interdictio prodigo facta ſtatim ceſſet, ſi redeat ad ſanos mores, & deſinat eſſe prodigus, ſoluta erit illi refutatio, & quidem absque Judicis decreto, ſi morum probitas conſpicua & manifeſta fuerit; alias ſecus. *arg. l. 1. in. f. pr. ff. de Curat. furioſi. Rebuff. in ſuis Comment. tract. de ſentent. proviſion. artic. 3. gl. 4. n. 13. Dn. D. Gothofr. Anton. d. loc.* Et hæc de efficiente.

5. Finis Refutationis Feudi eſt, ut Vaſallus, refutatione facta; vel ab obligatione feudali, uti in feudis francis, vel ſimul etiam à ſervitiorum præſtatione, liberetur, ut in cæteris feudis, omnibus. *c. v. de Vaſall. qui contr. conſt. Lothar. Reg. benefic. alienav. 2. F. 38.* Quod poſterius (ubi nimirum quis tam ab obligatione quam à ſervitiorum præſtatione liberatur,) uti non minimum ſub ſe comprehendit commodum, ita & prius, ſcilicet liberatio fidelitatis, in feudis francis, interdum non minus, præſertim iis locis, quibus, illi, qui bona in feudum ab aliquo recognoſcunt, ob vinculum fidelitatis, quo Domino Directo obſtringuntur, neque ad dignitates neque ad officia publica admittuntur, in refutatione feudi ſpectatur.

CAPUT III.

Subjectum & Objectum comprehendens.

1. CAuſas Externas excipiunt Internæ, quæ ſunt *Materia* & *Forma*. Materia autem vel eſt *Subjectiva*

jectiva vel *Objectiva*: Subjectum est vel *occupans* vel *recipiens*. *Subjectum occupans* dicimus esse omnem vasallum, sive sit secularis sive Ecclesiasticus, nullam enim hic differentiam facimus, tum propter generalitatem textuum de Refutatione Feudi disponentium, *c. v. de Vasall. qui contr. Constit. Lothar. Reg. benefic. alienav. 2. F. 38. c. v. de alienat. patern. feud. 2. F. 39.* tum quia utrobique eadem subest ratio: Ecclesiæ siquidem, si ipsi Feudum concessum sit, non nimus interesse potest, ut à servitiis (quæ ipsa per substitutum præstat) & obligatione, qua Domino Laico obstringitur, liberetur. Neque etiam distinguendum putamus, sive Vasallus sit Paterfamilias sive Filiusfamilias; Nam, quia Filiofamilias, Feudum, quasi peculium castrense, acquiritur, ex quo tanquam miles semper paratus, sumptus comparare & servitiis militaribus idoneum se efficere tenetur: *Rosenth. c. 3. concl. 5. nu. 5.* (unde etiam Patri in Feudo nec ususfructus nec Administratio cedit. *arg. c. 1. fin. In quib. caus. Feud. amittat. 2. F. 23. Auth. excipitur. C. de bonis quæ liber.*) Filiusfamilias autem in peculio Castrensi & quasi Castrensi pro Patrefamilias habeatur. *l. 2. ff. ad SCtum. Macedonian. Ampliss. Dn. D. Bicci. Præcept. & Patr. meus Honoratiss. in reb. quotid. sect. 1. θ. 10. lit. M.* nihil ipsi impedimento est, quo minus feudum refutare possit. Nec denique illum vasallum qui ultra Juramentum fidelitatis, pactorum, & conventionum, observationem juravit, excipimus. *Rosenth. c. 9. concl. 51. n. 1.* Quamvis Alvarot. *in c. 1. §. f. n. 3. de capit. qui curia vendid. 2. F. 51* & Alii, hic, inter vasallum & Heredem ejus, distinctionem faciant, & Illi, ob vim ju-

ramenti,

ramenti, quod præcise obliget, renunciationem Feudi denegent. Huic autem, utpote cujus animam jusjurandum non liget, solvendo id quod Domini intersit, eandem concedant, *Schrader. part. 8. c. 1. n. 63.* Attamen, cum natura Feudi hæc sit, ut Vasallus, etiam invito domino, illud, *sicuti ex seqq. apparebit*, refutare possit; omne autem Juramentum, secundum naturam contractus & Negotii, cui accedit, intelligi debeat. *arg. l. 5. C. de legib.* Jusjurandum hoc Refutationi vasalli haud impedimento esse poterit. *Dn. D. Ludvvell. in synops. c. 15.*

2. Quemadmodum autem Vasallus possidens, feudum recte renunciat, ita ille Vasallus, qui ad alterum, (Feudum suum rursus in subfeudum dando,) possessionem transtulit, Domino feudum recte refutabit, neque subvasallus impedire poterit, quo minus prior beneficiarius renunciet. *c. 1. §. rursus. Quib. mod. Feud. amittat. 1. F. 5. c. 1. §. final. si. de invest. feud. controv. fuerit. 1. F. 4. cum Sonsbec. de Feud. part. 2. n. 182. Ieremia. Setser. in arbor. Feudal. disp. 18. assig. 17. Guliel. Anton. in addition. ad tractat. de subfeudis Andreæ Kobl. Oldendorp. Class. 5. post. act. 17. de benef. action. loc. 5.* Quo casu subinfendatus, si Dominum superiorem recognoscat, eique servitia offerat, facultatem feudum retinendi, vel saltem refutantem de Evictione obligatum habet. *Guiliel. Anton. d. loc.*

3. Subjecto occupanti subjungimus Recipiens, circa quod θετικῶς, indicando, quibus feudum refutari possit, & ἀρνητικῶς, quibus non possit refutari, progrediendum est. Refutationem autem feudi fieri posse. 1. Domino volenti, nemo est qui dubitat; Ita

 tamen,

tamen, ut si plures Domini sint, omnibus fiat. *Borell. in summ. Decis. 1. tit. 34. n. 416. Alvarot. in c. Imperialem.* Sed an etiam invito? Circa illud Dd. variant, & hoc olim in Camera Imperiali valde controversum fuisse testatur Mynsing. 5. *obs. 65.* Quidam id fieri posse simpliciter negant. *cum gl. in c. 7. extr. de constit. & c. 1. §. similiter. de capitan. qui cur. vendit. 2. F. 51. Schrader. part. 8. c. 1. n. 61. & plures ab eo allegati. quorum sententiæ subscribit Iulius Clarus in §. Feudum q. 34. n. 1.* Quidam distinctione quadam inter feudum ad certum servitium, & inter feudum ad in determinatum vel nullum servitium datum, rem expedire volunt, illud; non hoc refutare posse, statuentes. *Iacob. Bellvis. c. v. de vasall. Qui contr. const. Lothar. Reg. Benef. alienav. 2. F. 38. Camill. Borell. in summ. decis. vol. 1. tit. 34. n. 6. & 407. n. 8. tum ibid. citatis.* Alii denique refutationem Feudi etiam invito Domino fieri posse contendunt *Vultej. de feud. lib. 1. disp. 10. n. 76. Rosenth. c. 9. concl. 51. n. 5. Myns. 5. obs. 65. Dn. D. Obrecht. de Iure feud. lib. 3. c. 11. n. 10. & novissime Dn. D. Ludvvel. in synops. feud. c. 15.* Quorum opinionem veriorum puto, cum non solum in jure feudali, expressus textus, qui refutationem feudi, vasallo, etiam Domino invito, concedat, reperiatur. *c. 1. de vasall. qui contr. constit. Lothar. Reg. benef. alienav. 2. F. 38.* sed insuper rationis sit, quod *juxta regulam superius citatam & in l. 51. C. de Episc. & Cleric. aliisque in Thesaur. Iurispr. lib. 6. c. 11. axiom. 4. allegatis textib. fundatam regulam*, cuilibet beneficio & favori suo renunciare liceat; exemplo usufructuarii, cui, usumfructum invito Domino proprietatis relinquere concessum est. *l. 65. ff. de usufr.*

4. Si-

4. Sicuti autem alias, quod primæ opinioni adhærentes *ex c. v. de Form. Fidelitat. 2. F. 6.* adstruunt: (dominum nimirum & vasallum, ad paria judicari, & quod domino non liceat, id nec vasallo deberi libere, item quod inter Dominum & Vasallum mutuum nascatur obligatio,) verum est, Ita etiam in suis terminis admittendum, quod ex *l. 2. C. Quand. ab emption. disced. licet. l. 5. C. de obl. & act. Item ex l. 17. §. 3. ff. Commod. & aliis textibus*, contractum nempe ultro citroque obligatarium, non debere ab unius partis consensu dependere, inferunt: Exinde tamen non recte concluditur, vasallum invito Domino feudum refutare non posse: Siquidem quotiescunque dispar ratio in comparatis ostendi potest, toties argumentum à comparatis non procedit. *Eberhard. à Middelb. in top. legal. loc. a correlat.* Hic autem, in nostro casu manifesta disparitatis ratio subest, cum dominus, cui feudum refutatur, ex tali refutatione, nullum patiatur damnum, (utpote qui plenam suæ rei proprietatem recipit, facileque alium sibi acquirere vasallum potest:) vasalli vero multum intersit, ne jure & beneficio suo defraudetur. *Curt. Iun. part. 4. n. 135. Vult. lib. 1. c. 10. n. 76. Rosentb. c. 9. concl. 50. Ludvvell. in synops. feudal. c. 15.* Et quemadmodum vasallus magis propter rem in feudum datam ad fidelitatem & servitiorum præstationem, quam propter personam obligatur. *c. v. in f. in quib. caus. feud. amittat. 2. F. 23.* Eam cum amplius habere nolit, sed refutet; simul obligatio evanescit. Adde feudum dupliciter considerari posse, ut constituendum & constitutum; Illo quidem respectu concedimus feudum esse contra-

 ctum;

ctum; sed hoc respectu est jus in re, usus fructus scil. perpetuus per contractum constitutus. Quemadmodum ergo usus fructus simplex, *prout in thes. praeced. ex l. 65. ff. de usufr. probavimus*, invito Domino, recte refutatur, ita etiam usus fructus perpetuus recte resignari, eique renunciari poterit.

5. Nec magis arridet altera opinio, quae inter feudum ad certum servitium, & ad indeterminatum vel nullum servitium datum, & quidem ex hoc ratione distinguendum censet; quod obligatio certorum servitiorum, in specie, magis stringat vasallum, quam incertorum servitiorum generalis promissio; siquidem ex illo naturalis tantum: ex hoc autem civilis obligatio & actio ex stipulatu vel praescriptis verbis, oriatur, *uti ex Mozz. sub. tit. quib. ex caus. feud. amitt. v. per concordiam refert Vultei. d. loc. n. 76.* Praeterquam enim quod textus supra citati hujus distinctionis non meminerint, nec aliqua probabilis ratio differentiae ostendi queat: certũ est, unumquodque feudum eatenus tantum improprium esse, quatenus à communi feudi natura decedere aut deflectere probatur; in reliquis autem omnibus proprium, propriique Feudi Jure censeri. *c. v. de Feud. propr. feud. natur. non habent. 2. F. 48. Dn. D. Gothofr. Ant. disp. feud. 1. th. 7. l. E.* Quae regula universalis dicitur à Rosenth. *c. 2. conc. 54.* Adde quod non minus servitia generalia aliter quam in specie praestari, & obligatio generalis aliter quam specialis solvi possit. *l. 13. ff. de leg. 1. l. 75. V. obl. §. 22. l. de legat. Obr. dict. loc.* quoniam ex contractu, in quo incertum & indeterminatum quid deductum est, aeque ac si certa & circumscripta res fuisset,

fuisset, obligatio & actitio oritur, cum & specialis obigatio non aliter quam secundum Naturam feudi intelligi debeat, juxta quam cum refutare liceat, specialiter adjecta determinatio hoc impedire non potest.

6. II. Porro refutatur feudum recte Agnatis. Agnati autem *latiore significatu* cum sint vel Descendentes vel collaterales, de utrisque seorsum agemus.

7. Et quia descendentes in utroque tam paterno quam novo feudo succedunt. *c. v. de Vasall. decrep. atat. qui feud. refut. 2. F. 14. Mynsing. 6. observ. 23.* ideoque illis indistincte tam novum quam paternum fendum refutari. *d. c. v. de vasall decrepit. atat. 2. F. 14. c. v. de alienat. patern. 2. F. 39.* Dominumque ut eos investiat, cogi posse, statuimus.

8. Collaterales; vel sunt proximiores vel Remotiores. Proximioribus Agnatis, si ex primo Acquirente, descendant, non quidem novum, sed antiquum tamen feudum recte refutatur. *Vultei. lib. 1. disput. 10. 77.* ita ut dominus etiam hos investire cogatur. Siquidem dominus, qui principem illius Familiæ atque Agnationis investivit, non tantum Investilio, sed etiam illius liberis & posteris ex eo descendentibus, beneficium istud concessit, ita tamen, ut graduum ordo & prærogativa servetur. *c. v. §. 2. de his qui feud. dar. poss. 1. F. 1. c. v. de success. feud. 1. F. 8. c. v. §. f. Constit. Feudal. Lothar. 1. F. 19.* in qua prærogativa hoc observatur, ut vasallus, si feudum suum refutare velit, id proximo cuique refutet. *Dn. D. Obrecht. de jur. feud. lib. 3. c. 11. n. 17.*

9. Et cum neque ista Refutatio, quæ fit illis, qui

qui alias sunt successuri, habeatur pro alienatione. *Dn. D. Gothof. Ant. disp. 9. th. 2. lit. C.* ideo Remotioribus quoque Agnatis, alias tamen in feudo vasallo successuris, feudum antiquum refutari potest. *Vult. lib. 1. disp. 10. th. 77. vers. Nec dubitandum.* Proximiores autem agnati jure προτιμήσεως, vivo Vasallo refutante, pro æquali pretio, si refutatio pretio accepto facta sit, feudum redimere, vel post mortē vasalli absque pretio revocare possunt. *c. 1. §. Titius de feud. defunct. content. sit. 2. F. 26. Dn. D. Ludvv. c. 15.* cum invitis illis, Jus per primam Investituram quæsitum, auferendum non sit. *argum. l. 11. ff. R. I* nisi expresse refutationi consensissent vel annum à die scientiæ tacuissent.

10. Uti autem computationem graduum in successionis, & consequenter in refutationis feudi materia, non ex jure canonico, sed ex Jure Civili, repetendam esse, *juxta Vult. lib. 1. c. 9. n. 112.* Interpretes communi calculo, extra controversiam, concludunt, & non solum. *c. 1. p. An Ill. qui interfec. fratr. domin. feud. privat. 2. F. 37. ubi idem ordo graduum, qui in legibus continetur, servari dicitur cum legum simplici appellatione prolata Romanæ leges per excellentiam intelligantur, c. 1. in fin. pr. De cognit. feud. 2. F. 1. §. 2. l. de Iur. Nat. Gent. & Civil.* sed & *c. 1. §. si Vasall. si de feud. content. sit inter domin. & Vasall. 2. F. 26. juncta cap. 1. pr. si vasall. feud. priv. ad quem propr. pert. 2. F. 31. c. 1. §. 1. de success. feud. 1. F. 8. ubi secundum antiquum feudi usum collaterales ij tantum, qui quarto gradu sunt, succedere dicuntur, quod ad Patrueles expresse refertur c. 1. §. 4. de his qui feud. dar. poss. 1. F. 1. quos Iure Civili quarto gradu esse constat ex §. 4. I. de Grad. cogn. l. f. §. 15. ff. eod.*

eod. illud satis probare videtur. Rosenth. c. 7. concl. 17. n. 9. Niell. disp. feud. 4. θ. 1. Dn. D. Schnobel. in jur. feud. disp. 7. θ. 20. (Quamvis & hoc cum Fachin. *lib. 7. controv. 26. Hotom. de feud. 19.* pro Canonica computatione certando, non solum in dubium vocet, sed & alii civilis Juris dispositionem, neque Canonici Juris sanctionem in hac graduum computatione spectandam, sed ex ipsis feudorum placitis, horumque præscripto, gradus ita computare jubeant, ut primus etiam Investitus connumeretur, & gradum constituat, *referente Ludvvell. in synops. feud. c. 10.*) Ita illud difficultate non caret, utrum proximitas ista graduum à primo acquirente, an vero ab ultimo feudi possessore æstimanda veniat? Et licet multi sint, qui tali in casu proximitatem gradus, respectu primi Investiti, metiantur, & cum in feudis principium & origo inspicitur, & successio (Quæ feudum refutatum Remotiori revocandi potestatem tribuit) communem stipitem ita respiciat, ut qui in feudo succedit, à Majoribus eorumque Investituris illud capere videatur; inde absurdum putent, si de successione primi Investiti agatur, ejus excludere proximiores, è contrario vero ultimi Vasalli, de cujus tamen successione non quæratur, admittere proximiores, *Bald. conclus. 137. n. 1. citatus à Gail. 2. obs. 154. n. 3. Hotom. disp. feudal c. 19. Vultej. lib. 1. c. 9. n. 112.* Veriorem tamen puto sententiam illorum, qui proximitatem gradus, habita ratione ad vasallum ultimo possidentem, non autem ad primum Investitum, spectare volunt: tum propter expressum textum *c. v. de Natur, success. F. 2. 50. ex quo textu aperte evinci posse videtur, quod, si superstit aliquis ex*

linea

inea ejus, qui ultimo loco feudum tenuit, omnes alij Agnati, etiamsi proximiores sint primo Investito, à successione removeantur, tum etiam propter illam rationem, quia, si in feudo antiquo persona primi Investiti attenderetur, Filius Fratris non succederet in locum Patris cum Patruo. *Auth. post Fratres. C. de legit. Hered. quod esset contra c. §. His vero. de success. Fratr. 2. F. 11.* Hac tamen expressa limitatione, ut proximitas hæc respectu vasalli ultimo possidentis, solummodo tamdiu spectetur, quamdiu supersit aliquis ex ea linea, ad quam feudum pervenit: cæterum, si illa linea deficiat, tunc qui sunt ex aliis lineis proximiores primo Investito ad Feudi successionem adeoque inde competentem feudi refutati revocationem admittantur. *d. c. 1. de Natur. succ. feud. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 23. tit. 29. cum ibid. citatis, Ludov. in synops. feud. c. 10.* Quamvis enim fateamur, quod in Feudis principium & origo inspiciatur, & ultimus vasallus primi acquirentis successor dicatur: Tamen hoc non ita simpliciter, quasi nullus respectus ad ultimum feudi possessorem habendus esset, intelligendum est; sed potius, ut primo acquirenti, mediante tamen ultimo defuncto ita succedatur, ut qui huic jure Agnationis proximior, reliquis præferatur. *arg. c. 1. de success. feud.*

II. Cum ergo hactenus recensuerimus, quibus feudum renunciari possit, sequitur, ut juxta distributionem theseos 1. hujus cap. videamus, quibus non possit refutari. *Non* ergo *recte refutatur feudum. 1. Extraneis*, sive Novum sit, sive Antiquum. Siquidem hæc refutatio mera & simplex esset alienatio, quæ jure

jure communi Feudali est prohibita. *c.v. de probib. Feud. alienat. per Lothar. fact. 2. F. 51. c. v. de probib. feud. alienat. per Frideric. 2. F. 55.* & nisi domini consensus accedet privationem feudi inducit, ita ut illud ad dominum revertatur, siquidem novum fuerit, in perpetuum: si vero antiquum, quoad vitam vasalli alienantis & delinquentis, penes dominum, ut injuriæ suæ ultionem habeat, permaneat, cæterum eo fato functo, Agnatis restituatur; *uti probat Dn. Præs. Præcept. & Patr. ætatem colend. in Lection. feudal. ad tit. quib. mod. feud. amittat. in verb. His omnibus. tum per l. 77. §. 4. ff. de leg. 2. ubi dicitur rem restitutioni subjectam, tamdiu solum ob culpam delinquentis apud Fiscum manere, quam diu is qui deliquit in vivis maneat. tum etiam per c. 2. F. 78. ubi culpam unius coharedis cæteris non præjudicare asseritur.*

12. II. Agnatis quoque Feudum novum invito Domino non recte refutatur. Cum enim feudum novum, Filiis non extantibus domino aperiatur. *c. 1. de vasall. decrep. ætat. qui feud. refut. 2. F. 14.* & Agnati in feudo novo adeo non succedant, ut ne quidem Fratri consanguineo successio in Feudo novo concedatur. *c. 1. §. in alio vero de success. feud. 1. F. 8.* Refutatio autem illis tantum fieri possit, qui ex primi Investiti progenie sunt, & quibus in Feudo Jus succedendi, competit. *c. v. de eo qui fin. fec. agnat. de feud. patr. 2. F. 49.* sequitur, Agnatis feudum novum refutari non posse. Nisi feudum Novum concessum fuisset, Jure feudi antiqui, nach Art und Eigenschafft eines rechten alten Stamm-

D Lehens.

Lehens. Quod fieri posse asserit, *Gail. 2. obs. 50.* *Gothofr. Anton. disp. feud. 1. 8. 2. lit. c.* quo casu, cum feudum Novum, jure feudi antiqui, respectu scilicet Domini, censeatur, Agnatis etiam recte renunciabitur. *Gail. d. loc.*

12. III. Agnatis illis, qui à primo Acquirente non descendunt aut quibus in prima Investitura pacto expresse provisum non est, neque feudum antiquum renunciari potest. *Vult. d. loc.* Refutatio siquidem illis tantum fieri potest, qui de primi Investiti stirpe sunt prognati, & qui vasallo ab intestato successuri sunt. *c. v. §. v. in f. Qualit. olim feud. alien. pot. 2. F. 9. c. v. p. de alien. feud. patern. 2. F. 3.* cum ergo Agnatus à primo acquirente non descendentes in feudo non succedere supra ex *c. v. de Natur. success. feud. 2. F. 50.* demonstraverimus; consequens est dicere, quod neque illis feudum antiquum refutari possit.

14. Subjectum excipit objectum. *Objectum* autem refutationis feudi est ipsum feudũ, & vel totum vel pars ejus. *c. v. ibi: reservatis sibi aliis partibus. de vasall. qui contr. constit. Lothar. Reg. benef. alienav. 2. F. 28.* quia quod jus circa totum, illud etiam circa partem ejus est *§. 8. l. de fideicomm. hered. l. 76. ff. R. V.* sive feudum antiquum jam quæsitum sit refutanti, sive speratum duntaxat. *c. v. de eo qui fin. fecit agnat. de feud. patern. 2. F. 49. c. 1. §. f. si de feud. defunct. content. sit. 2. F. 26. Hotom. disp. feud. 38. Ludwel. in synops. feudal. c. 15.* Neque distinguimus utrum

trum feudum ligium sit, nec ne, tum quia feudum ligium nullibi excipitur, tum, quia nulla diversitatis ratio, cur aliud in feudo ligio quam non ligio, dicendum sit, apparet, licet quidam feudum ligium, invito domino, refutari non posse, tradant. *Gothof. Ant. disp. feudal. 1. θ. 3. lit. F.* Circa illud vero feudum, quod per stipulationem acquisitum est, quid statuendum sit, acriter controvertitur. Quibusdam, Refutationem feudi istius fieri posse, quia hoc sit contra Naturam stipulationis, negantibus, quibusdem autem pro affirmativa pugnantibus. Quorum opinionem, *cum Dn. D. Obr. lib. 3. feud. c. 11. n. 23. & Goth. Ant. disp. 9. θ. 2. lit. d.* veriorem existimo; cum stipulatio, tanquam Accessorium, Naturam negotii principalis cui accedit, assumat, nec eam mutet, sed magis secundum illam reguletur. *c. accessorium de Reg. Iur. in 6. l. 5. §. conventionales. ff. de verb. oblig. l. 1. §. 13. ff. ut legat. vel fideicom. servand. caus. l. 6. de transact. Ludw. in synops. feud. c. 19. Gothof. Ant. d. loc.* Et quamvis hoc in casu cum Bl. *in prælud. feud. n. 14.* Schrad. *part. 8. c. 1. n. 63.* vasallum refutantem domino ad Interesse, obstrictum esse velit. Attamen causa satis prægnans non apparet, ob quam hoc onus citra juris textum inducamus. Quin imo, cum refutare ex natura feudi, & jure sibi concesso, vassallo liceat, nulla est ratio, cur ad interesse compelli debeat, quoniam quod lege permittente fit, pœnam haud meretur. *l. 4. C. ad leg. Iul. de adult.*

CAPUT IV.

Formam Refutationis feudi complectens.

1. **P**Ost refutationis feudi Materiam tam Subjectivam quam objectivam, sequitur *Forma*, quæ est vel *Theorica*, vel *practica*; & illa vel *Interna* vel *Externa*. Forma theoricam Internam in ipsa tempestiva feudi renunciatione consistere statuimus. Nam, quemadmodum Refutatio, si intempestive vel dolo fiat, forte cum dominus esset in procinctu, vel hostis ipsi immineret, neque aliis idoneis militibus vel servitiis se instruere posset, non subsistit. *Præpos. in c. 1. §. f. n. 1. de capit. qui curi. vendid. Camill. Borell. in summ. decis. vol. 1. tit. 34. n. 412. Clarus §. feudum q. 51. n. 11. Ludvv. in synops. feud. c. 15.* sicut nec illa, qua vasallus verbotenus saltem feudum refutaret, & nihilominus feudum re ipsa retineret, ipsumque dominum, falso refutationis colore quæsito, oppugnaret. *Dn. D. Obrecb. de jure feud. lib. 3. c. 11. n. 25.* ita nec aliquid operatur, si domino vel Agnatis Ignorantib. sit facta. *c. v. qualit. olim feud. alien. poter. 2. F. 9. c. v. de vasall. decrep. ætat. 2. F. 14.* adeo, ut vasallus insalutato domino recedens, non tamen renuncians feudum, cogatur redire & servire. *arg. l. omnes. C. de Agric. & Censit. prouti ex Bl. refert. Rosenth. c. 9. concl. 51. n. 11.*

2. Externa Forma consistit tum *in Modo refutandi* feudum, tum in reliquis *circumstantiis Personarum, Loci* & *Temporis*. Quoad Modum, Refutatio

tio feudi vel fit *expresse*, quando vasallus ita expresse feudum refutat, ut Filius vel Agnatus per dominum, tanquam de novo beneficio, vel ut cessionarius tanquã de beneficio antiquo investiatur; vel *simpliciter*, si nihil tale exprimatur. Tum vero aut *in rem* seu generaliter concipitur, sine aliqua conditione, hoc est expressione aliquarum personarum, quarum respectu gratia & favore fiat, & *realis* dici potest, aut certas comprehendit Personas, quibus vel in quarum gratiam, puta Filii, Fratris, Agnati, vel eorum hæredum, ut ipsæ investiantur, fiat eaque *Personalis* appellari potest. *cum Rosent. c. 2. concl. 20. n. 2. & seq. D. Obrech. d. loc. n. 20.* Cæterum, circa modum refutationis feudi nil interesse putamus, an in scriptis vel sine scriptis fiat. Nam, quemadmodum regulariter in nullo actu scriptura requiritur, nisi lex eam expresse exposcat, *l. 17. C. de pact. N. 73. c. 8.* (cum, quotiescunque in lege mentio fit intervenientis scripturæ semper interpretari debeamus, id non necessitatis gratia, & quod sine ea conventio vel actus non possit subsistere, fieri, quia scriptura non est pars vel de substantia conventionis vel actus, sed tantum accidens, quod sine principalis rei interitu adesse vel abesse potest. *Dn. Præs. in Thes. Iurispr. lib. 17. c. 13. axiom. 4.*) Ita partibus, an velint actum hunc renunciationis, ut facilius probari possit, in scriptis celebrare, vel non, integrum relinquendum esse videtur.

3. Quoad reliquas circumstantias, & (1.) *Personarum*, per quas refutatio hæc fieri possit, nil referre putamus, utrum quis per se an per alium,

 puta

puta per Procuratorem, speciale tamen Mandatum, habentem, feudum refutet. cum enim utraque Investitura tam Nova quam vetus per Procuratorem speciale Mandatum habentem possit accipi, & sic feudum constitui. *c. 2. vers. sed utrum. Per quos fiat Investit. 2. F. 3.* (quod tamen ejusdem vel majoris est præjudicii,) haud in congrue dicetur, idem etiam per Procuratorem refutari posse. *arg. l. 35. ff. R. I.* Quoad circumstantiam (2) *Loci.* Refutatio feudi facienda est in curia domini. *arg. l. 39. ff. de solut. l. 21. §. 10. 11. ff. de arbitr.* vel ubi contractus feudalis celebratus est, cum enim in Feudis Dominus instar creditoris & vasallus instar debitoris sese habeat, debitor autem creditori non recte solvat, nisi ibi ubi res est. *l. 12. §. 1. ff. de posit. l. 38. de Iudiciis. l. 10. 11. 12. ff. de Rei vind. l. 11. §. 1. ad Exhibend. l. 3. §. f. de act. empt. C. A. de solut. th. 13. n. 6.* vel ubi contractum est. *d. l. 38. ff. de judic.* proinde etiam vasallus, alio loco feudum haud recte renunciabit. Denique (3.) quoad *Temporis* circumstantiam, oportet vasallum diurno, non noctis aut prandii vel balnei tempore feudum refutare. *c. consuluit. extr. de offic. & potest. Iudic. l. 39. ff. de solut. l. 3. ff. Reb. credit. l. 14. ff. comm. præd. arg. eorum quæ tractantur à Gothof. Anton. disp. feud. 8. th. 8. lit. A.* alias si dominus refutationem renueret, vasallus neque à servitiis neque ab obligatione liberaretur; utriusque tamen consensu quovis tempore, etiam de nocte hunc actum celebrari posse, nec irritum ideo constitui, existimamus. *l. 8. ff. de Ferijs l. 10. C. de transact.*

4. Forma practica respicit refutationis feudi

tum

tum *Probationem*, vel *Interpretationem*. Probatur autem Feudi refutatio vel *Testibus*, vel *Instrumentis*. In probatione quæ fit per *Testes* considerari potest, eorum tum *Quantitas*, tum *Qualitas*. Ad *qualitatem* testium quod attinet, quosvis modo sint idonei, probationi factæ refutationis adhiberi posse, nec præcise pares curiæ desiderari, statuimus. Licet enim alias ad probationem Novæ Investituræ à Domino vasallo collatæ non quivis, (utcunque sint fidei exploratæ, & authoritatis spectatæ) sed pares curiæ, tanquam testes, (si modo, qui habiles sint, haberi possint) requirantur. *c. v. Quot test. sint necessar. ad probanda nov. Investitur. 2. F. 32.* inde tamen, illud in aliis actibus feudalibus præcise observandum esse, haud recte infertur. Nam, præterquam, quod ibi testes non tam ad probationem, quam potius ad substantiam & solennitatem actus, si subsistere debeat, *c. v. Quid sit Investit. 2. F. 2. Gothof. Ant. disp. 4. θ. 6. lit. C.* adhibentur: interventione parium in collatione novæ Investituræ ideo etiam est opus, quia specialis adhuc subest ratio, quam Feudista *in c. 1. §. idcirco, de Not. feudi 2. F. 58.* expressis & his quidem verbis indicat, ne nimirum quid excogitetur falsitatis, in perniciem Domini, aliis testib. inductis, corruptis forte pecunia vel odio vel gratia, quæ non sint suspicanda in paribus, cujus specialis rationis veritatem vel ex eo deprehendimus, quod non solum istam parium curiæ, tanquam testium adhibitionem, in collatione veteris & renovatæ Investituræ remissam; vel alios quosvis extraneos, idoneos tamen sufficere videamus, *c. 1. §. f. Quot test. sint, Necess. ad proband. nov. Invest.*

Invest. 2. *F.* 32. sed insuper collationem novæ Investituræ, majori, falsitatis suspicioni, eo quod juxta illam omnis renovatio fieri solet, *Gothof. Ant. disp. feud.* 4. *th.* 6. *lit. c.* subjacere manifesto deprehendamus. Quæ specialitas cum hic cesset, & alias quivis non prohibiti, tanquam testes ad negotia accedant. *l.* 1. *ff. de testib.* recte ad probandam refutationem pares curiæ non necessario requiri, sed quoivis Extraneos sufficere, statuimus. Non tamen sub Extraneis fœminam intellectam volumus. Nam cum in causis feudalibus testes semper Mares requirantur, *D. D. Gothof. Anton. disp. feudal.* 15. *th.* 5. *lit. d. cum pluribus ibidem citatis*, neque quoad actum refutationis feudi fœminæ testimonium dicere poterunt. *d. c.* 1. *in f. Quot test. sint necess. ad prob. nov. Instit.* 2. *F.* 32. *& ibid. Gothofr. in Not. in lit. K. Hotom. in comment. ad d. cap.*

5. *Quantitatem* testium quod concernit, cum in jure feudali certus & definitus Numerus, qui ad probationem renunciationis feudi, requireretur, nullibi expresse reperiatur, juris autem communis sit, quod quotiescunque lex numerum testium absque præfinitione requirit, tunc duo sufficere videantur. *l.* 12. *ff. de testib. l.* 117. *de verb. signif.* cum pluralis locutio duobus contenta sit. *d. l.* 12. *ff. de testib. Dn. Pres. in thesaur. iurispr. lib.* 18. *c.* 15. *axiom.* 19. ideo & ad hujus actus probationem duos sufficere credimus. *arg. c. v. Quid sit invest.* 2. *F.* 2. *c. v.* §. *quod autem. de Not. feud.* 2. *F.* 58. *Gothof. Anton d. loc.* Nam quamvis vasalli perfidia, propter quam feudo mulctatur, quinque summæ ac integræ opinionis testib. probanda sit. *c.* 1. §. *f.*

Quot

Quot. test. sint Necess. ad proband. feloni. 2. *F.* 57. *Gail.* 2. *obs.* 157. *n.* 2. ex eo tamen ad hunc nostrum actum, quasi & hic tantus numerus testium requireretur, nulla firma concludendi ratio est, cum ibi expressio certi numeri testium, sufficienti nobis indicio sit, numerum nimirum istum quinarium in aliis actibus non requiri, alias eadem facilitate de numero septenario, *cujus in c.* 1. §. 3. *de pac. publ.* 2. *F.* 27. *mentio sit*, interri possit.

6. Per *Instrumenta* quoque Refutatio feudi probatur, non solum eo casu, ubi inscriptis fit, sed etiam si sine scriptura fiat, & desuper Instrumentum conficiatur. Nam, quemadmodum alias tam testibus quam Instrumentis probatio perficitur. *Gothof. Ant. disp.* 15. *th.* 5. cum talis probatio, quæ fit per Instrumenta, eandem vim, quam quæ fit per testes, *l.* 15. *C. de fid. Instrum.* obtineat, & quod per Instrumentum apparet, certum & manifestum dicatur. *Grammat. decis.* 45. *n.* 11. Ita & Renunciatio feudi, Instrumentis, debito modo & solennitatibus confectis, poterit probari.

7. Circa Refutationis feudi *Interpretationem* duæ nobis occurrunt quæstiones expediendæ, quarum prima est, An Refutatio feudi potius realis, an vero personalis, præsumatur, si non satis appareat, utrum realis vel personalis fuerit, v. g. si vasallus feudum Domino refutet, nil dicendo, in quarum personarum gratiam & Favorem id faciat. Nam si personas, ut vel Filii vel Agnati investiantur, exprimat; refutatio dubia dici non potest. Et nos potius pro reali præsumendum esse statuimus. Quoniam, Q.

E cum

cum vasallus in manus Domini feudum refutat, omne jus à se abdicasse censetur, dumque alium non exprimit & rem à se abdicando amplius habere non vult, domini gratia id potius fecisse præsumendus est. *Rosenth. c. 2. concl. 21. n. 2. Dn. D. Obr. lib. 3. c. 11.* Deinde & hoc quæri videmus, si vasallus omnia sua feuda

Q. quæ possidet, Domino, vel Agnato refutet, An & feuda Impropria sub hac refutatione contineantur? Quod, quamvis cum *Curt. Iun. p. 1. n. 32.* Schrader. *part. 2. c. 4. n. 69.* ex hac ratione neget, quoniam in contractibus, statutis, privilegiis, ultimis voluntatibus, nec non etiam in omnibus aliis dispositionibus, verba proprie accipienda sint, nec à propria verborum significatione recedendum *l. 69. ff. de leg. 3. l. 8. §. 1. ff. de vulg. & pupil. substit.* hinc etiam eveniat, ut si in aliqua dispositione fiat mentio feudi, illa dispositio tantum ad feuda propria restringatur, feuda autem impropria sub se non comprehendat. Nos tamen Affirmativam veriorem putamus. Nam cum definitio feudi, quam ponit Obert. de Orto. *in c. 1. §. f. in quib. caus. feud. amittat. 2. F. 23.* improprio feudo æque ac proprio feudo competat (quod vel exinde patet, quod ibidem non solummodo feudi ad certa & determinata servitia concessi, sed & ejus in quo Fœminæ ex pacto succedunt, *quæ tamen impropria feuda esse ex c. 1. §. 3. de his qui feud. dar. poss. 1. F. 1. c. 1. §. f. Quid sit Invest. 2. F. 2. constat*, mentio injiciatur,) supradicta à Schradero allegata ratio, ratio, utpote quæ in feudis tunc maxime procedit, si dispositio alias plane inutilis futura esset, *arg. l. 24. ff. de Instruct. vel Instrum. fund. legat.* vel forte alia

dispo-

disponentium mens aperta fuisset. *arg. l. 69. ff. de leg. 3.* haud obstare videtur, quo minus sub refutatione omnium feudorum, etiam feuda impropria contineri dicamus, siquidem & alias genus omnes species sub genere comprehensas, etiamsi in una specie major sit ratio quam in alia, *l. 1. §. 3. de Aleat.* includit. *l. 4. C. de praescript. 30. vel 40. Annor. l. 147. ff. de Reg. jur. Thesaur. Iurisprud. lib 7. c. 5. axiom. 5.*

CAPUT V.

Effectus Commonstrans.

1. POstquam *Constitutiva* Refutationis feudi expendimus, prolabimur nunc ad *Consecutiva* & Effectus inde resultantes. Qui respiciunt vel *Personas*, vel *Rem ipsam*. *Personae* autem vel sunt *Principales*, vel *Minus principales & Accessoriae*. *Personae Principales* sunt *Vasallus* & *Dominus*. Effectus personam *Vasalli* respicientes, consistunt tum *in Commodis*, tum *in Oneribus*. Effectus *commoda* Vasalli concernens, est *Liberatio*; quod, Refutatione facta, vasallus, non solum ad serviendum, Domino, amplius non teneatur. *c. v. vasall. qui contr. constit. Lothar. Reg. benef. alienav. 2. F. 38.* sive servitia illa, qualia esse debeant, nominatim ab initio expressa, *c. v. in f. In Quib. caus. feud. amitt. 2. F. 23.* sive indeterminate promissa fuerint. *c. v. §. f. de capitan. qui curi. Vend. 2. F. 51.*) sed & al. ipsa obligatione, qua Domino directo obstrictus erat liberetur, *Vult. lib. 1. disp. 10. n. 77. D. D. Obr. lib. 3. c. 11. n. 30. D. D. Gothof. Ant. disp. feud 9. th. 5. lit. C.* Nam cum va-

sallus

sallus propter rem in feudum datam domino ad fidelitatem & servitiorum præstationem obstringatur. *d. c. v. I. f. in quib. caus. feud. amittat. 2. F. 23.* causa autẽ hæc per refutationem expiret, hinc etiam effectum ejus nempe ipsam obligationem evanuisse, dicendum est. Cum alioquin statuendum esset, si feudum aliis modis puta interitu rei feudalis, *arg. pr. & §. penult. l. de usufr.* vel lapsu temporis, *c. 1. de feud. Guard. & Guastald. 1. F. 2.* finiretur, vasallum nihilominus manere obligatum; quod tamen nemo facile dicturas erit.

2. Effectus *onera* Vasalli respicens est, quod 1. Vasallus, non protinus, eodem modo, quo per refutationem à servitiis, & obligatione feudali liberatur, ita statim ab obsequiis & honore Domino exhibendis, immunis fiat; sed, quemadmodum olim servi per manumissionem liberti facti nihilominus in gratiæ & remunerationis locum pro beneficio manumissionis Patronis obsequia præstare debebant. *de quib. 1. ff. de obseq. parent. & patron. præstand.* Ita vasallas etiam post refutationem ad obsequia & honorem domino teneatur, nec eum temere offendere debeat. *c. v. de Vasall. qui contr. const. Lothar. Reg. benef. alienav. 2. F. 38.* Uti autem obsequia, quæ Liberti Patronis olim præstabant, in observantia & Reverentia consistebant; sic etiam vasallus post refutationem ad hæc duo obstrictus permanet, adeo, ut ita se gerere debeat, uti ergo illos faciendum est, quorum persona facta & honesta videri debet. *c. 1. vers. curia. de milit. Vasall. qui contum. est. 2. F. 22. c. 1. §. quomodo vero. in quib. caus. benef. amittat. 2. F. 23. l. 9. ff. de obsequi. Parent.*

rent. & Patron. præstant. D. D. Schnobel. in jur. feud. disp. 8. θ. 8. Argumento à Patrono ad Dominum feudi, & à Liberto ad Vasallum. *Eberhar. à Midelburg. in topic. legal. loc. 25. à Liberto ad vasall. C. A. de obseq. Parent. & Patron. præstand. 2.* Vasallus feudum novum domino, vel Antiquũ ea conditione, ut Filius vel Agnatus per Dominum de feudo tanquam de novo beneficio investiatur, refutans, non amplius ad illud, vel ejus successionm admittatur: cum secuta nova Investitura, feudum quoque novum fiat, *c. v. de eo qui fin. fec. agn. de patron. 2. F. 49.* Novi autem feudi ea sit Natura & conditio, ut in eo Agnatus Agnato non succedat, *c. 1. in f. de success. feud. 1. F. 8.* Secus tamen esset, si Pater vel Avus in gratiam Filii vel Nepotis feudum antiquum in manus Domini refutet, & deinde, Filius vel Nepos, vivo adhuc Patre vel Avo, sine Prole Mascula decedat; tunc enim tale feudum, quamvis regulariter Ascendentes in feudo, sive Ecclesiasticum illud sive seculare, sive novum sive antiquum sit, non succedant. *c. 1. p. de Natur. success. feud. 2. F. 50. D. D. Gothof. Ant. disp. 5. θ. 6. lit. b. Dn. D. Schnobel. in jure feud. disp. 6. θ. 3.* ad Patrem & Avum revertitur. *Curt. Iun. part. 3. memb 2. n. 32. Borcholt. c. 7. n. 9. Schrad. p. 7. c. 6. n. 4. Rosenth. c. 7. conclus. 5. n. 8.* cum pluribus ab eo citatis: Nisi Pater vel Avus in manus Domini feudum absolute vel generaliter refutet. *Gothof. Ant. disp. 1. θ. 5. lit. b.* Quod licet in praxi ita observetur, & secundum illud in Camera Imperiali aliquando judicatum fuisse Mynf. *3. obs. 93.* testetur, tamen textibus juris Feudalis vix convenire, imo potius contrarium *ut c. 1. de Natur.*

 success.

success. feud. 2. F. 50. &c. *Patrem Filio in feud. non succeder.* 2. F. 84. probari putat *Gothof. Ant. de* 5. θ. 6. *lit. b.*

3. Effectus Personam *Domini* respiciens est *Consolidatio Dominii*, si ipsi domino facta sit refutatio. Quo modo enim proprietarius finito usufructu plenam in re incipit habere potestatem §. *f. l. de usuf.* Eodem etiam modo Dominus directus post Refutationem ex eo tempore plenum consequitur dominium: ita, ut quamvis ante Refutationem, proprietatem feudi seu Jus dominans, invito vasallo, citra privationem & jacturam ejus, sive in totum sive pro parte, alteri donare cedere, permutare, vendere, oppignorare, aut alio quovis modo alienare regulariter non potuerit, multo minus circa dominium utile, utpote penes vasallum existens, aliquid disponere ipsi licuerit. *c. 1. vers. praeterea. de prohib. feud. alien. per Frideric.* 2. F. 55. *c. v.* §. *Ex eadem lege. de capit. Corrad.* 2. F. 40. *c. 1.* §. *f. Qualit. olim feud. alienar. pot.* 2. F. 9. *juncto. c. 1.* §. *f. de prohib. feud. alien. per Lothar. fact.* 2. F. 52. *c. 1.* §. *Domino. Si de feud. defunct. content. sit.* 2. F. 26. *c. v. Qual. Dom. propriet. feud priv.* 2. F. 47. *Rosenth. c. 9. concl.* 62. *n.* 27. & 28. *Gothof. ant. disp.* 9. θ. 6. *lit. a.* Attamen hæc omnia ei nunc permittantur, non aliter, ac alias unicuique rerum suarum est potestas & Jus disponendi illibatum. §. 2. *l. de his qui sunt sui vel alien. jur.*

4. Personæ *Minus principales* sunt vel *Agnati* vel *Extranei.* Agnati vel sunt *Descendentes* vel *Collaterales.* Horum ergo respectu effectus vel est *peculiaris & proprius*, vel *communis.* Effectus *proprius* respectu Descendentium, alius est in feudo *Novo*, alius in feudo *Antiquo.*

quo. Effectus quoad Descendentes *respectu feudi Novi* est, quod illi nec vivo nec mortuo Refutante feudum repetere possint. Cum enim secundum veriorem opinionem (1.) Pater consensu Domini, in præjudicium Descendentium, feudum novum, sive ex pacto & providentia, sive hæreditarium sit, sive etiam gratis sive pretio dato à Patre acquisitum fuerit, licite alienet, nec inde Filiis, (nisi Patri, contemplatione Filiorum à Domino feudũ concessum fuisset) ulla revocatio competat; cum etiam (2.) quod quis sibi acquirit, pro libitu voluntatis possit alienare, *l. 9. §. 3. ff. de acq. Rer. dom.* & (3.) prohibitio facta in feudo paterno, *c. 1. de alien. feud. patern. 2. F. 39.* arguat concessionem alienationis in feudo novo. *Curt. Iun. part. 4. n. 144.* Cumque (4.) alias in feudo novo delictum Patris etiam Filiis obsit, ita, ut si ob feloniam aliquam Pater feudum amittat, id quoque filiis noceat.. *c. 1. §. si Vasallus. Si de feud. defunct. content. sit. 2. F. 26. c. 1. si Vasall. feud. privet. ad quem propriet. pertin. 2. F. 31.* nihil obstare videtur, quo minus dicamus, Patrem feudum Novum in Præjudicium Descendentium refutare posse, nec Filiis ideo revocationem competere. *Feudo vero Antiquo refutato*, Descendentes, mortuo refutante, condictione ex Lege, (qua uti ab extraneis alias feudorum alienationes revocantur, ita & hic remotiores Agnati à Filiis, ob restitutionem, conveniuntur,) illud avocare possunt *c. 1. §. Titius. si de feud. defunct. content. 2. F. 26.* resoluto enim jure dantis & jus accipientis resolvitur. *Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 14. n. 11. Clarus §. feudum. q. 34.* Nam cum illis à primo acquirente in feudo antiquo jus quæsitum sit, *c. v. An Agnat. vel Fili. defunct. poss. retin. feud. 2. F. 45.*

F. 45. per factum Parentis ipsis hoc auferri minime potest: Nisi Refutationi Filii consensissent. *Ludw. d. c. 15.*

5. Effectus respectu *Agnatorum* iterum alius est in feudo *Novo*, alius in feudo *Antiquo*. Si refutatur feutum *novum*, Agnati nec vivo Refutante, nec post mortem ejus, id repetere possunt. Nam, cum vasallus omnibus iis in feudo novo, quibus id acquisivit, voluntate Domini, præjudicare possit, siquidem ipsis ante mortem vasalli nullum adhuc jus præsitum sit. *D. D. Obr. de jur. feud. lib. 3. c. 11. n. 36.* Agnati hanc vasalli voluntatem, nec vivo nec mortuo eo impugnare poterunt. Nisi Novum feudum jure feudi antiqui (quam limitationem etiam in proxime præcedenti thesi intelligimus) refutans accepisset. *Gail. 2. obs. 50.* Refutato vero feudo Antiquo, nihil Agnatis ista refutatione præjudicatur, *c. v. pr. de alien. patern. feud. 2. F. 39.* nisi i Refutantis in aliis bonis essent hæredes, quia tunc factum defuncti præstare cogerentur. *Rosenthal. c. 9. concl. 52. n. 3.* Quapropter Agnati casu emergente, quo vasallus diem suum obeat, istud revocare haud prohibentur. Cum illi jus quæsitum à primo acquirente & non à refutante habeant. *c. 1. §. cum vero. de his qui feud. dar. poss. 1. F. 1.* Modo Filii vasalli non extent, qui feudum, ne Patris factum infringerent, vel revocare nolunt, vel quia hæredes sunt, non possunt. *Rosentb. d. l. n. 5.* Quo tamen casu Agnatis propter superstites Filios, utpote proximiores, & revocationem impedientes, præscriptio non curreret, siquidem non valentibus agere tempus ad præscribendum constitutum non labitur. *l. 1. C. de Annal. Except. l. 30. §. omnis. C. de jur. dot. Rosentb. c. 9. concl. 83. n. 7.*

6. Com-

6. *Communis* denique respectu Descendentium & Agnatorum *Effectus* est, quod post Refutationem, pro diversitate subjectorum, intra annum & diem, vel Mensem renovationem Investituræ petere teneantur. *arg. c. 1. §. ex eadem de leg. Corrad. 2. F. 34. c. v. de Vasall. qui contr. constit. Lothar. Reg. benef. alienan. 2. F. 38.* & Dominus eandem, inter annũ & diem vel mensem, à die interpositæ petitionis, computantum, conferre debeat: Ni illi ob intermissã Renovationis Investituræ petitionem Jure & domino suo utili, hic vero ob denegatam vel dilatam Investituræ collationem, proprietate feudi velint privari. *c. 1. Quo Tempor. Miles. 1. F. 12. c. 1. pr. Quæ fuit prim. caus. benef. amitt. 2. F. 24. c. in quib. caus. feud. amitt. 2. F. 23. arg. c. 1. de for. fidelit. 2. F. 6. c. 1. §. Domino. Si de feud. defunct. content. sit. 2. F. 26. c. 1. Qualit. domin. propriet. feud. privat. 2. F. 47. juncto. c. 1. §. f. de prohibit. feud. alienat. per Lothar. fact. 2. F. 52. c. 1. de Milit. Vasall. qui contum. est. 2. F. 22.*

7. Effectus respectu *Extraneorum*, est, *Iuris in feudo quæsiti*, per refutationem vasalli, *amissio*. Nam quemadmodum vasallus alteri sine consensu Domini facultatem utendi fruendi in feudo, exemplo usufructuarii. *Magnif. Dn. Præs. in lect. feud. ad tit. Quib. mod. feud. amitt. vers. rursus.* concedere, servitutem realem ad vitam & præjudicium ejus feudo imponere, *c. 1. §. è contra si de re alien. Invest. fact. sit. 2. F. 8. Rosenth. c. 9. concl. 11. n. 13.* ut & consensu domini salvo jure suo directo, feudum pigniori & hypothecæ dare potest. *Rosenth. c. 9. concl. 18. n. 3.* Ita per hoc, vel si etiam feudum locasset, non impeditur, quo minus feudum renunciet, adeoque resoluto jure dantis, evanescat quoque Jus concedentis. Nam cum ista facultas refutandi,

à principio ex natura ipsis feudi insit, uti probat *sæpius allegat. c. 1. de Vasall. qui contr. Constit. Lothar. 2. F. 38.* non habet talis cum Vasallo contrahens, quod postea conqueratur, quia hoc scire potuit, vel certe scire debuit, siquidem qui cum alio contrahit, non est, vel non debet esse ignarus conditionis ejus cum quo contrahit. *l. 19. ff. de Reg. Iur. Alvarot. ad c. 1. §. rursus. Quib. mod. feud. amittat.* sed potius sibi imputet, cur ita facilis in contrahendo fuerit.

8. Effectus denique *rem ipsam* respiciens est, quod res, quæ feudali qualitate erat affecta, eadem per refutationem liberata, incipiat rebus allodialibus, quæ alias feudalibus opponuntur, *Ampliss.* Dn. *D. Rebhan. Præcept. & Patron. meus honoratiss. in Hodog. Iur. ebart. 2. climat. 2. paral. 3. n. 4.* accenseri. Qui effectus certe ingens est; Cum enim feudorum liberum commercium non sit, *uti ad c. 1. §. donare. Qualit. olim feud. alien. poter. 2. F. 9.* Interpretes, notant, Hinc durante obligatione feudali, neque proprietas à Domino. *c. 1. §. præterea. de probib. feud. alienat. per Frideric. fact. 2. F. 55. c. v. S. ex eadem. lege. de capit. Corrad. 2. F. 40. c. 1. §. f. de prohib. feud. alien. per Lothar. 2. F. 52.* (ne peregrinus Dominus, Vasallo invito, obtrudatur *Magnif. Dn. Praes. in lect. feudal. ad tit. de success. feud. in verbis. Nulla ordinatione.*) neque utile dominium à Vasallo, *c. 1. §. donare. Qualit. olim feud. alienar. poter. 2. F. 9. Vultei. lib. 1. c. 9. n. 71. 72.* neque denique ab aliquo Tertio. *arg. §. 4. I. de legat. c. 1. in f. de fratrib. de benef. nov. Invest. 2. F. 12. C. A. de legat. 8. 25.* vel per legatum vel per fideicommissum adeo relinqui non possit, ut nec æstimatio ejusmodi sive Ecclesiæ sive in piam causam re-

licti

licti legati aut fideicommissi, per hæredem testatoris in allodialibus, debeatur. per *d. cap. pr. de success. feud. 1. F. 8. c. 1. §. donare. Qualit. olim. feud. alienat. pot. 2. F. 9. arg. §. 4. I. de legat. l. 39. §. 7. ff. de leg. 1. Gail. 2. obs. 154. n. 14. & de pac. publ. lib. 2. c. 14. n. 5.* cum tamen alias, legata re aliena, si hæres eam redimere nequeat, saltem æstimationem ejus præstare necesse habeat *§. 4. I. de legat. l. 12. ff. de legat. 2. Vult. lib. 1. c. 9. n. 71.* Quæ prohibitio cum post refutationem non solum quoad Dominum & Vasallum, sed etiam quoad Extraneum, cesset, ita, ut si ejusmodi res legetur, hæres, vel ad præstationem Rei vel æstimationis teneatur. *§. 4. I. de legat. §. 1. I. de singul. Reb. per fideicomm. relict.* non minimum inde resultare effectum, nemini dubium esse potest.

CAPUT VI.

Affinia & contraria ostendens.

1. REfutatione feudi in Constitutivis & consecutivis hactenus considerata, superest, ut de *Affinib.* & *contrariis* paucis dispiciamus: Magnam autem cum renunciatione feudi affinitatem habet. 1. *Subinfeudatio.* Germanis die AfterLehens Verleyhung / Afterbelehnung/oder After-Lehenschafft / dicta, quo vasallus feudum, quod habet, vel totum, vel partem ejus, alii, in feudum legitime concedit, de qua in *c. 1. §. sed & res. Per quos fiat Investit. 2. F. 3. c. 1. §. si vero. Qualit. olim feud. alien. poterat. 2. F. 9. c. 1. §. beneficium. si de feud. defunct. controv. fiat. 2. F. 26. c. 1. §. callidis. de probib. feud. alienat. per Frideric. 2. F. 55.* Uti enim in illa, sicuti ex superioribus manifestum est, Vasallus,

jus feudi, quod habet, alteri licite cedit, ita in hac eodem modo, id licite in alium transfert. differt tamen potissimum à Refutatione. 1. ratione *Subjecti recipientis*, Subinfeudatio enim cuivis etiam non Vasallo recte fit. 2. Ratione *Finis*, cum per subinfeudationem hoc agatur, ut acquirens ratione feudi concessi fiat vasallus concedentis; & denique 3. Ratione *Effectus*. Subinfeudans siquidem neque ab obligatione neque à servitiis superiori & Immediato Domino præstandis liberatur, neque se in totum dominio utili, quod habet respectu juris vasallagii in re feudali, abdicat, cum nihilominus Dominium utile superius apud ipsum permaneat, & solummodo alterum utile inferius ad Vasallum subinfeudatum transferatur, uti probat *c. 1. §. illudque. de prohib. feud. alien. per Frideric. 2. F. 55.* Deinde 2. resoluto jure subinfeudantis, per mortem ipsius vel alium casum, ipsum quoque Subinfeudati Jus finitur & resolvitur. *c. 1. §. si vero. Qualit. olim. feud. alien. poterat. 12. F. 9. c. 1. §. rursus. Quib. Mod. feud. amittat. 1. F. 5.*

2. II. Vicina Refutationi feudi quoque est *Cessio ususfr. simplicis*, de qua *in §. penult I. de usufr. l. 64. ff. de usufr. l. 66. ff. de jure dot.* Nam quando usufructuarius, jus suum, ita ut in se amplius non consistat, plane à se vult abdicare, potest hoc, Domino etiam invito, non tamen extraneo, cedere, cū cedendo Extraneo, *§. penult. I. de usufr.* nil agatur, sc. respectu Extranei, ad quem nihil ex ista cessione transit, cum alioquin respectu usufructuarii & Domini, utique aliquid agatur, ille enim hac cessione usumfructum amittit, ad hunc autem revertitur, uti cum *Donell. lib. 10. comment. c. 19.* istam *§. penult. interpretatur. C. A. quando dies usufr. cedat. l. 11.* differt tamen

ab

ab hac Refutatione feudi, 1. ratione causæ *Efficientis Remotæ*, siquidem cessio hæc est Juris Civilis. 2. ratione *Objecti* in hac ususfructus simplex ceditur, in illa autem ususfructus perpetuus, & plenissimus. 3. ratione *Formæ*, nam cessio hæc quandocunque usufructuario liber, fieri potest. & 4. ratione *affectus*, facta enim ususfructus cessione, nulla inter Dominum & usufructuarium superest σχέσις & relatio, nec hic illi vel ad obedientiam vel reverentiam propterea est astrictus.

3. Restant contraria. Quæ impediunt Refutationem feudi, vel ut *faciendam*, vel ut jam *factam* dirimunt. Quæ refutationi feudi ut *faciendæ* contrariantur sunt. 1. *defectus consensus & bonorum suorum administrationis*, de quo supra *cap. 2. th. 3.* 2. *Intempestivitas & dolus*, sicuti enim alias Jura non admittunt, ut in fraudem alterius aliquit fiat. *t. t. ff. Quæ in fraud. creditor. l. 5. C. de legib. l. 29. l. 31. ff. eod. l. 5. C. pro Empt.* ita nec dolosa & intempestiva refutatio feudi conceditur: dolus autem multis detegitur modis, puta, si vasallus, cum Dominus esset in procinctu, aut hostis ipsi immineret, vel alias servitia indicta essent, feudum refutare vellet. *Rosenth. c. 9. memb. 1. concl. 51. n. 43.*

4. Denique quædam Refutationem feudi jam *factam* dirimunt, & vel *vivente & superstite vasallo refutante*, vel *post mortem ejus*. Illius generis hæc sunt. 1. si *metu coactus* Vasallus feudum refutet. Nam resignatio metu facta est nulla. *Tepat. in compend. decis. tit. 153.* Intelligimus autem talem metum, qui in constantem virum cadere possit, alioquin justus non est. *l. 6. ff. quod metus causa. l. 2. §. 11. Ex quib. caus. Major. l. 13. de Re Iud. l. 148. de Reg. Iur.* Non enim vasallus vel à Domino, vel ab alio ut renunciet, cogendus est, sed in libera ejus voluntate & potestate esse debet, domino vel Agnatis feudum refutare vel non. *D. D. Obr. de Iur.*

de Iur. feud. lib. 3. c. 11. n. 27. verum cum metus consensum non in totum excludat, nec actum ex illo consensu dependentem ipso jure vitiet, eo quod coacta voluntas etiam sit voluntas. *l. 21. §. 5. ff. quod metus caus. Magnif. Dn. Præs. in Thesaur. Iurispr. lib. 11. c. 27. axiom. 2.* ideo, quemadmodum alias Prætor, tanquam custos Æquitatis ejusmodi actum ratum non habet, sed restitutionem in integrum, ei, qui hoc nomine in captionem incidit, pollicetur. *l. 1. & 2. ff. de restit. in integ.* ita & hic actio ad rescindendam refutationem datur. *arg. l. 9. p. §. 3. & 7. ff. eod.* 2. *Error superveniens.* si v. g. vasallus justo errore ductus, feudum alienum, quod tanquam suum possedit, bona fide refutet, & deinde de isto errore appareat, tunc vero Vasallo nullus datur regressus adversus refutantem, sed refutatio rescinditur. Cum actus, cæterum licitus & honestus per errorem gestus erranti non noceat. *l. 15. ff. de Iurisd.* & quemadmodum alias errans dominium non transfert *l. 3. §. 8. ff. de condict. caus. dat.* Errore quippe dominii translationem impediente. *l. 15. §. 1. ff. de contr. Empt.* ita nec utile dominium transferri potest. 3. si Vasallus *interveniente pretio*, Agnato Remotiori feudum refutasset: eo enim casu, vivo refutante, refuso æquali pretio, intra annum, proximiori id revocare licet. *c. 1. §. sed etiam res. Per quos fiat. Invest. 2. F. 3. c. 1. §. Titius. si de feud. defunct. cont. fi. 2. F. 26.* 4. si Refutatio feudi vel Novi vel Antiqui *Extraneis vel Agnatis in Investitura non comprehensis* facta sit, tunc hæc Renunciatio non subsistit, sed feudum tanquam commissum ad Dominum libere revertitur, exclusis Descendentibus & Agnatis. *per jur. super. allegat.*

5. Post *mortem* vasalli refutatio dirimitur, si illa remotiori, aliquando quidem, non tamen statim mortuo vasallo, eo quod ipsi obstet proximior, successuro Agnato, facta

facta sit. Licet enim Vasallus remotiori Agnato, feudum, citra consensum Domini, & proximorum, ad hoc refutare possit, ut quamdiu ille in vivis sit, talis renunciatio in persona remotioris subsistat. *Rosentb. c. 9. concl. 52. num. 15.* cum, quemadmodum proprietarii nihil interest, utrum fructuarius ipse, an alius cui usumfr. vendiderit *l. 12. l. 67. ff. de usuf.* utatur, ita etiam proximioris agnati, quis feudo utatur, nihil interesse videatur. *Hotom. in disp. feud. c. 38.* tamen post mortem vasalli, Agnati proximiores, quando successio feudi ipsis delata est, id proprio suo jure revocare possunt. *Hotom. d. l.* Nisi Agnati proximiores refutationi feudi consensissent. *c. 1. §. 3. in quib. caus. feud. amitt. 2. F. 23. Hotom. disp. feud. 38.* vel ipsius refutantis hæredes extitissent. *l. 55. §. 1. ad SCtum. Trebell. l. 15. C. de Rei Vind. l. 10. C. de solut. Curt. Iun. part. 4. n. 147.* quod tamen iterum sublimitandum est, nisi tales Agnati ante aditionem hæreditatis confecissent Inventarium de bonis defuncti, siquidem beneficum Inventarii hæredi omnia jura & actiones, perinde ac si non adiisset hæreditatem, conservat. *gl. in. l. fin. §. in computatione. C. de Iure de lib. Curt. d. l.*

6. Quemadmodum ergo hactenus, quomodo & quibus renunciatio feudi â Vasallo recte fiat, vel non, consideravimus, ita Coronidis loco haud inconvenienter, tractationem, quatenus & quibus Dominus feudum refutare possit, & An Vasallum invitum à servitiis & jure vasallagii liberare queat? subjicere possemus, verum, cũ quoad prius, licet Domino refutationem Agnatis facere concedatur, per ea quæ tradit *Magnif. Dn. Præs. ad tit. de successiõn. Feud. in verb: Nulla ordinatione.* illum tamen jus suum directum, alteri Extraneo, invito Vasallo, nec cedere nec refutare posse, supra ex *c. 1. §. eodem lege de leg.*

Corrad.

Corrad. 2. F. 34. c. 1. §. 1. in f. de probib. feud. alien. per Frid. fact. 2. F. 55. & aliis textib. probatum fuerit. De posteriori vero non magnopere laborandum esse videatur, juxta *Rosentb. c. 9. concl. 52. n. 19.* hic casus, ubi nimirum dominus Vasallum invitum à servitiis & jure vasallagii liberet, ante Græcorum Kalendas vix eventurus speretur, ideo potius hac tractatione supersedemus, si tamen talis casus emergeret, quo dominus vasallum à servitiis & vasallagio liberatum vellet, quamvis cum *Iacob. de Ardiz. Iob. Blanch. in sum. feud. lib. 2. c. 1. n. 118. & Vult. c. 10. n. 76.* id fieri posse, statuant per hanc rationem, quia secundum *l. 69. R. Iur. l. 19. §. 2. de donat. l. 16. C. de Iur. delib.* invito, beneficium non detur: tamen contrarium cum *Rosenthal. d. l.* verius putarem. Nam cum dominus & vasallus ad paria judicentur, *arg. c. in f. de form. fidelit.* Vasallus autem invito Domino feudum, refutare possit, ideoque & dominus Vasallum invitum liberare ipsique jus suum remittere poterit. Sed hæc tenuia à tenui ingenio hactenus tractata sufficiant.

DEO Ter Optimo Maximo sit Laus, Gloria & Honor in sempiterna secula.

